DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA.

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS V. IANVARII.

M. PAVLO COVRTOIS Doctore Medico Præside.

An febres hac tempestate grassatæ, contagiosæ?

MORBOS acriùs furentes, non priùs plebs timet, quàm eis famosam contagionis personam affingit; sanitatis quidem nulla, morborũ certè varia, quâ grauissimorum perinde ac leuiorum molestiæ communicantur: nec ea putredinis excellentiæ, humorumue putredini; sed vni seminarij morbosi affatim prorumpentis commeatui tribuenda. Valeat siccæ humidæue intemperiei nomen; Vnaque partium circumfuso aëri propiorum spectetur labes, quæ non tantum imbelli subtilium humorum fuligini det viam; sed ipsos totius mali vitio incoctos spiritus tenere nequeat; hi quippe nihil à sanis integrisque partibus emendati, aut in appositorum sibi corporum cutem sese insinuant; aut ea, quibus primùm adhærescere datur, contaminant; aut etiam per infectum aërem latiùs manant.

PERMAGNI interest quo res illæ comparatæ sint modo, in quas morborum diribitores spiritus incidunt: quidquid crassius densiusque est, illorum eludit impetus. Metallis non bellè insident, aurumque, vel ægri manu donatum, nunquam in mali partem Medicum aduocauit. Triste virus promptè altéque imbibunt stragula & lintea, in corpora quæ his induuntur, illud miserè aliquando infixura. Quóminus per corporis labefactati spiracula tetra in aërem mephitis exhaletur, impedire nihil potest; malum verò is frænare, nè longiùs serpat; & vt furenter efferatur, instigare potest. Hoc perniciosè deprauatus; illud perpurgatus, aut aliquâ qualitate sæuienti morbo aduersâ ornatus efficit. Vt breuiore, sic certiore curriculo junctorum temeréque cum ægris versantium corpora tactu ipso læduntur. Tribus istis pestis, morborumque suâ immanitate timendorum causis obsistit, cui incorrupta est sanitas; cedit qui & præcipuam ægrotandi causam suo sinu gerit, & hanc corroboratura subsidia contagione haurit; adeo cum primo causæ exordio consentit iste morborum contagiosus epilogus. Scabiei leuiorumque morborum semina minore apparatu excipiuntur; interdum & cassa nihilque nocitura euanescunt: rariùs tamen profectus ab ægro vapor impurus sanos impune afficit, siue is è corporibus sese aliquâ parte contingentibus, siue è fomite aliquo, siue aëris aspiratione ducatur.

FEBRES hac tempestate grassatas non inuexit truculentior rutili Martis spiritus, qui an vnquam id potest? Non hyems, quòd sui frigoris aculeos recondiderit: non aër infestâ, vt sæpe fit, ventorum è mari spirantium aurâ inquinatus, sed collecto ex assiduis imbribus humore multo, crasso, concretóque obsitus, qui dum transmittenda per poros excrementa tenuiora diù exitu prohibuit, in feri copiam exaggerari coegit: vt ijs vltimâ siccitatis & subtilitatis lineâ carentibus elabi in fuligines non licuerit. Inde primùm nata, & aucta clades; inde & morbi, pro multiplice humorum vnâ affectorum conditione, varij ebulliére, innumeræque pro vnius cujusque corporis habitu putredinum differentiæ, nouis affinitatis, & diuortij notis distinctæ. Extitére & hinc nouæ febrium tristiùs curandarum facies, quarum sæpiùs feri & corrupti, rarò faciles ac domestici mores apparuére. Eam ob causam fractâ plerumque febris assiduæ proteruitate, cum nouæ indolis nouique ingenij tertiana conserere manus oportuit; moxque cùm geminata tertiana: & ex his temporis longinquitate recreatus demum æger, in medios continuæ ignes, liuorisque purpurei terrores incidit, sanitatis vixdum primis regustatæ labris vsuram persoluturus; quasi nihil attinuerit quod ad vnamquamque febrem peculiari licet putredinis ambitu circunscriptam, remedium adhiberetur. Adfuit tandem, & in miserum toties jactatum incurrit Quartana, quæ & suæ securitatis oblita, feruidæ illuuiei, visceribusque clam æstuantibus, jamque ad tabem euntibus, paulatim accensas humoris atri faces admoueret, accitóque ad extremum hydrope, præsentissimum conflaret periculum. Hæc adeo extra tragicam contagionis scenam omnia; vt non tam nouas morborum plures affligentium causas venari, quàm, quidni omnes conficerent, mirari jus fasque fuerit.

CVM in corporibus pulchrè temperatis, summâ partium omnium consensione res administrantur, per angustissima illa cutis foramina, à corpore in finitimum aërem patentia, quæ callidissimo artificio natura fabricata est, penè sponte suâ euolat, quidquid suberat fuliginosi excrementi, grauiter, si subsistat, incommodaturi: At vbi febris ardor in venis medullisque viscerum insidet, tanta è fumanti sanguine, intimisque latebrarum recessibus effertur vaporum copia; vt pars ore, & majoribus quibusque vijs foras detur; pars per eas quæ sensum fugiunt, tentato pertinaciùs exitu, tandem effluat. Quidquid autem hi contraxére vitij, aut ijs quas peruadunt partibus afflant; aut ab ijsdem valentibus domiti, exuunt. Quod si labis minùs aspersum est, nullâ tenacitate adhærent, vt delicatiores quidem odore nescio quo febris offendere; at egregiè sanis detrimenti nihil afferre valeant. Quemamodum porrò fusus cælique calore extenuatus aër, si quas alicunde sordes accepit, eas facilè comportat, quocumque penetrat: sic humidior, spissus, ac plerumque in nubem, imbremue coactus, qualis fere nuper fuit; cùm suâ temperie acriores vapores emollit ac mitigat; tum corporibus offusus, ac veluti durior factus, ne quâ illi subeant, aditum intercludit. Hoc propugnaculo plerique omnes tuti modò fuere à fœdis ægrorum expirationibus quomodocunque incursantibus. Fuit & vallum omni munimento securius, firma ipsa sanitas; vt qui imploratâ medici ope, illuuiem, exiles alioqui ductus per quos fumida corporis excrementa deponuntur, obsessuram maturè subduxerunt; exhalatorum ab ægrotis corpusculorum, morborumque abhis suborituorum vim omnem facilè obtriuerint,

NON eâ, quâ plebs, leuitate morbos æstimat Medicus, nec temerè appellat diriori nomine, nec infantiùs nihil timendos timet: scilicet ratione rerúmque vsu doctus, non in vnius causæ, quæ morbos pariat, vim & magnitudinem intendendam esse mentis aciem: sed perinde vt temperatum est, ac sese habet corpus; ita maximè morbos oriri, eorumque mores, ingenia, casus, euentusque fingi, ab altiore velut specula prospicit quæ singulorum futura sit feritas, quæ ignauia, quæ breuitas, quæ diuturnitas: vehementiores, eosque qui fugæ vel clementiæ simulatione ex occulto recrudescerent, intercludit opprimitque in ijs ipsis, quas struunt, insidijs. Interpolatarũ contumaciam perrumpit remedijs die vel tempore molliori præscriptis. Duplicatam tertianã, à qua propè nihil induciarum est, excidit medicamentis tum maximè objiciendis, cùm remittit febris; nec absimili ratione tertianam, quam & bellè dum silet, oppugnat. Quartanam ipsam obstinatiùs recurrentem, tantâ vrget curarum assiduitate; vt à conuenientibus præsidijs inuictam, ac veluti ferocitate exultantem, balneo, & Peruuiano ac nostrate cortice cogat ad deditionem: Neque verò satis habet profligasse febrem: periculo subductos suis etiamnum astringit legibus; quô radicem, & morbi fibras omnes euellat. Ne multa, expectatam officij sui fidem, vanâ seu criseos spe, seu contagionis formidine interpellari non patitur: scit namque suum esse corpori, à corpore; suum naturæ, à natura; suum alimento, ab alimento; morboque suum, à morbo discrimen: nec vniuerso animantium omnium generi eadem conferre, eadem officere; sed ad rem eandem alia, alio modo se habere.

Ergo febres hac tempestate grassatæ, non Contagiosæ.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Grout.
M. Antonius Ruffin.
M. Petrus Pourret.
M. Antonius de Caën.
M. Petrus Moriau.
M. Guillelmus Petit.
M. Franciscus Blondel.
M. Iacobus Mentel, Scholarum Censor.
M. Nicolaus Matthieu.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS BOVIONIER, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXII.